



Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi

Sandaeus, Maximilianus

Antverpiae, 1647

63. Quotidie minimum semel Christi Passi membra singulatim saluat, & osculatur, Guilielmus VVolf Metternich, Germanus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55449)

III.

AMATOR CRVCIFIXI.

*Quotidie minimum semel Christi Passi
membra singulatim salutat &
osculatur.*

63.
GVLIEL-
MVS
WOLFF
METTER-
NICH Ger-
manus.

GULIELMVS VVOLFF, dictus METTERNICH Germanus, equestri genere ortus, è Collegio Germanico ad Societatem venit. In eâ sanctissimè vixit, commendatus à continuo propè orandi studio, ac Divina meditandi. Ex quo tam uberibus de cælo deliciis abundabat, ut à lacrymis sibi temperare non posset, præsertim, inter sumendum SS. Eucharistiaæ Sacramentum, additum etiam consideratâ CHRISTI Passi humilitate usque ad mortem, gemitus atque suspiriis.

Ita autem inter sacrificandum obruebatur interdum, ut non posset perlegerre Evangelium. Quodam die cum alteri sacrificanti adfisteret, impotens fletuum ac singultuum, per omnem ædem sacram auditus est. Plurimum afficiebatur meditandi CHRISTI pro nobis HUMILIATI, & PASSI HUMANITATE, singulis quæ distinctè membris, oculis, auribus, ore, linguâ, corde, manibus, pedibus, actis ad singula gratiis (an non & osculis? ita reor) postulatisque beneficiis.

IMITATRIX CRUCIFIXI. 107

ciis. Ardenter optabat , Domini sui tam
dira PASSI , & pro se MORTVI amore,
quo flagrabat vitam profundere : si non
posset cum sanguine ; at certe in pesti-
lentium obsequio , aut simili munere
charitatis.

Quo semeripsum ad salutarem pœni-
tentiam commoveret. Exercitorum spi-
ritualium tempore consueverat , clausis
cubiculi fenestrī manus sibi & pedes li-
gare , ac humili projectus , tanquam Deus
& Deipara perduellis , majestatisque
reus veniam deposcere: quo demissionis
exercitio mirificè proficiebat.

Tametsi verò corpus haberet labori-
bus , cauteriis , senio satis perdomitum
admovebat illi tamen quotidie cilicia ,
flagella , aliasque afflictiones

Utebatur multum libello Thomæ de
Kempis de Imitatione CHRISTI : eum
ferebat in sinu: ex eo sibi vitæ præcepta
petebat ipse , & aliis promebat. Denuo
laboribus succumbens obiit Colonie
Agrippinæ die xxx. Martii m.DC.XXXVI.
Ad extremum usque spiritum precibus
intentus; ad quas, ut commodius, si per
valetudinem liceret , è lectulo se corri-
peret, vestitus in eo quiescebat.

Litt. ann. Prov. Rhen. infer. Elog. Vit. B. S. Sup-
plementum post Appendic.